

*Francisci Lusthaus* der Ober- und Nieder Welt. Disc. 4. p. 88. seq. *M. Imman. Weber* Disp. 2. de Politia ante lapsum c. 2. §. 6. Hos sine dubio secuti *Pontificii* et *Scholastici*, quando ex pseudo-Dionysio lib. 1. de coelesti Hierarchia c. 6. angelos in novem distinguunt ordines, et hos iterum in tres Hierarchias, *supremam* (*ἐπαρχίαν*) in qua sint *Seraphim*, *Cherubim* et *Throni*, hos Angelos, dicunt, esse quasi cubicularios et Assessores DEI, qui DEUM immediate cognoscant, et diuinas reuelationes ad reliquos deriuent: *mediam*, (*μεσαρχίαν*) in qua *dominationes* et *potestates* locant, putantes, hos Angelos habere generale militantis Ecclesiae regimen: et denique *tertiam*; (*ὑπαρχίαν*) ad quam spectent *principatus*, *Archangeli* et *Angeli*, qui regimen Ecclesiae militantis speciale, et custodiam singulorum hominum habeant, de quibus vid. *Quensted.* System. l. c. p. 479. *B. Scherzerus* System. Theol. l. c. p. 108. *B. Velthemius* Diff. ante cit. §. 24. *Petrus van Mastricht* Theol. Theoretico-Practica l. c. p. 347. seq. Quales autem novem Angelorum ordines, tanquam Iudaeorum atque Pontificiorum commentum, merito reiicimus. Quia (1.) fundamentum, cui hunc superstruunt ordinem, videlicet novem ista nomina, est nimis lubricum atque arenosum, siquidem non novem tantum nomina, sed plura alia de Angelis usurpata in Scriptura S. reperiuntur, v. g. quando appellantur *Filii DEI* Iob. I, 6. C. II, 1. *stellae matutinae* Iob. XXXVIII, 7. *vigiles* Dan. IV, 14. *exercitus* Luc. II, 13. &c. Quidni ergo plures constituuntur ordines? Quia (2.) ipse Apostolus Paulus Col. II, 18. istam curiositatem expresse damnat. Quam Apostoli vocem de aliquibus Scholasticorum Doctoribus, certos Angelorum ordines, certasque *Hierarchias* constituentibus, eleganter adhibent *Gerhard* Loc. de Creat. et Angel. §. 54. *Dannhaw.* P. 1. Hom. Acad. p. 55. *M. Christoph. Sonntag* Disp. Inaug. de ignorantia Theologorum laudabili cap. 8. §. 3. p. 41. *M. Gottfried Michael Setter* Diff. Philos. de Ignorantia docta §. XI. Accedit (3.) quod ipse *Dionysius*, ad cuius auctoritatem commu-

D

ni-